

Latein

1. November 2009, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Octobris 2009

Nachrichten-Rückblick auf Latein

Cives Hiberniae assensi

Hiberniae cives iterum ad suffragium vocati pacto assensi sunt, quod est de fundamentis Unionis Europaeae. Illo pacto a Lech Kaczynski Poloniae praesidente subscripto id solum desideratur, ut a Václav Klaus quoque probetur, qui Tzechiae rem publicam moderatur; qui quidem non vult, nisi plura ei concedentur.

De coalitione ministrorumque collegio convenit

Magna cum pertinacia agentibus Democratis Christianis atque Socialibus et Liberalibus contigit, ut coalitionis condiciones paciscerentur, secundum quas per quattuor annos res publica regeretur. Inter ministros natu minimus idemque primus ex advenarum numero est Philipp Rösler, qui e Vietnamia in Germaniam venerat pro filio adoptatus. Factiones adversantes eos, qui rem publicam moderaturi sunt, incusaverunt promissis improbis cives fefellisse discordiamque ordinum concituros esse.

Dux novus Democratarum Socialium

Sigmar Gabriel novus dux Democratarum Socialium fiet et succedet Franz Müntefering. Novus dux parlamentariorum Democratarum Socialium electus est Frank Walter Steinmeier, qui antea candidatus muneris cancellarii victus ex electione discesserat.

Praemia Nobeliana tributa

Barack Obama praesidenti Civitatum Unitarum Americae tributum est praemium pacis Nobelianum. Obama curare, ut arma atomica deponerentur communicarentque civitates orbis terrarum inter se, collegium Nobelianum declaravit. Praemio litterarum Nobeliano laureata est Herta Müller. Decem annis, postquam honoratus est Günter Grass Germanus, Germana scriptrix adepta est has laudes.

Ludi Olympici in Brasilia

Anno bis millesimo sexto decimo primum in urbe Americae meridionalis Olympia fient. Brasilianis contigit, ut ex ultima suffragatione urbs Rio de Janeiro superior discederet plura suffragiorum in se vertens urbe Madrito. Urbs Chicago, cui permulti faverant, Obama praesidente ipso adiuvante iam e primo suffragio victa discesserat.

Per ictum Kloseanum ad campionatum mundanum

Pedilusores Germaniae in urbe Moscua manum Russiae uno ictu ad nullum vicerunt. Qua victoria parta manus Joachim Löw exercitatoris Germaniae certaminibus mundanis, quae anno proximo in Africa Meridionali habebuntur, intererit. Follem portae Russorum intulit Miroslav Klose.

Nofretete reversa

Primum post septuaginta annos Nofretete regina Aegypti illa notissima spectari potest in aedibus Musei Novi Berolinensis, quod hoc mense iterum apertum est. Ea imago initio belli mundani secundi cum collectionibus Aegyptia et protohistorica alio translata erat ex illo museo, quod postea impetibus aeriis graviter est afflictum; anno demum bis millesimo tertio restaurari coeptum est David Chipperfield architecto Britanno praestantissimo curante.

protohistoricus – frühgeschichtlich – of early history

Colosseum parvulum

Non longe ab Ostiae portu archaeologi arenam adhuc non cognitam, quae saeculis imperatoris aedificata erat, effoderunt. Quae arena quadraginta duo metra longa et triginta octo lata aliquanto minor est quam Colosseum Romae situm. Ambitu par Pantheo templo duo milia spectatorum cepit.

Homines antiquissimi effossi

Tim White palaeontologus universitatis Berkeley Californianae nuper proposuit reliquias triginta septem hominum generis antiquissimi in Aethiopia effossas, qui vixerunt ante aliquanto plus quam quattuor miliones annorum. Inter reliquias sunt ossa paene omnia cuiusdam mulieris, e quibus colligitur illos proavos hominum iam potuisse erecte

ingredi, sed aegre. Quos in arboribus profectos esse in ramis euntes, non de eis pendentes velut pongidae. Cui speciei novae nomen scientificum Ardipithecii ramidi datum est.

pongidae – Menschenaffen - apes

Notabilia: Cenatio Neronis detecta

Romae in colle Palatino cenatio detecta est, quae imperatoris Neronis praecipua fuisse videtur. Quam autem cenationem rotundam perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumactam esse Suetonius rerum scriptor tradit, ut stupor admiratioque convivis moveretur.

Plura sub:

[Antikefan-Forum](#) 

[Archäologen entdecken Prachtsaal von Kaiser Nero](#) 

Artikel in der Süddeutschen Zeitung

Weitere Informationen:

[Nuntii Latini mensis Octobris 2009, \[6:18\]](#) 

[Lateinnachrichten Oktober 2009](#) 

Deutsche Übersetzung

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/octobris100.html>